Komorowski Stanislai: Conclusiones logicae.

# CONCLVSIONES LOGICÆ.

IN
Alma Vniuersitate Cracouiensi

*A Generoso*
*STANISLAO KOMOROWSKI,*
*Cursus Philosophici Auditore,*

Publico certamini
PROPOSITÆ.


*Præsidente Admodũ Rndo & Excellenti Domino,*
D ALBERTO PAPENKOWICZ
Collega Maiore, Canonico S. Annæ,
Cursus Philosophici Vladislauiani Professore.

Permissu
*MAGNIFICI DOMINI*
RECTORIS.

Anno recuperatæ per Christum salutis, 1647.
Mense Septembri. Die 28 Hora. 19

*CRACOVIÆ, Apud Lucam Kupisz, S. R. M. Typogr.*

# IN STEMMA ILLVSTRISSIMÆ DOMVS.





*VVEZYCIA Serpens cur cum cruce Stirpe coruscat,*
*Curq́; sub his fulget pulchra corona? petis.*
*Hac Regina Domo quoniam prudentia regnat,*
*Ergò Reginam pulchra corona tegit.*

*Perillustri & Admodum Reuerendo Domino,*

# D. ALBERTO WEZYK,

## Ecclesiæ Cathedralis Gnesnensis DECANO,

Custodi Cracouiensi, Præposito Louiciensi, Abbatiæ Tynecensis Coadiutori S. R. M SECRETARIO, &c. &c.

*Domino & Patrono fauentissimo.*

*QVOD inter difficiles viarum flexus, & varios inexpediti itineris circuitus oberrantibus vsuuenire solet Perillustris & Admodum Reuerende Domine, Idem mihi post superatos in atterendis Logicæ Senticetis anfractus in extremo hoc biennalis laboris mei agone video euenire. Herculeo illi adnitantur necesse est robore, aut si operi concedere nolint, inuiosq; experiri Saltus, amicam alterius opem accommodatâ implorent voce. Dum & ego studij Academici amænitate illectus, in horto Philosophico spinis implicatum oberro sepimentum, quò faciliores nodorum aculeos exuperem, Tuum mihi fauorabilem Gentilitij serpentis supplex imprecor ductum. Scilicet quos sine duce Gordiorum nodos attrectare exhorrui, eos nunc manuducente serpente Tuo in cõmuni omnium corona perlustrare audebo. Quod si enim salebrosa hæc nec immaturis calcanda ingenijs via, his tantum pateat, qui exanthlato orbis flexuosi cursu in egressus limine coronæ propositum sibi habent præmium, mihi quoq; felicibus præeuntis Serpentis Tui insistenti vestigijs quid aliud sinuosus eiusdem cursus nisi hæreditarium coronæ suæ præmium pollicetur. Et eò quidem gloriosius, quò vberiores ab hoc in virtutum fastigia & immortalia in Rempub: merita passus Tuæ Perillustri Familiæ velut hæreditario iure deberi Lechicus admiratur orbis. Quid enim, si ad Illustrissimorum Maiorum Tuorum, si ad præclara Tua gestorum facinora oculos conuertamus. Datum hoc Tuorum virtuti Sanguini & Fortunæ, vt in augusto Honorum positi fastigiò Polonæ ad imitandum eluceant posteritati. Occultare hic non possum Illustrissimum Piæ memoriæ Patruum Tuum*

*Ioannem VVęzyk Archiepiscopum Gnesnensem, Primatem primumq; Regni Poloniæ Principem, pleno semper meritorum & gloriæ lumine in hoc polonici honoris amphitheatro Serenissimo Regi, Patriæ & ciuibus relucentem. Cui Sarmaticus orbis ( vt sine inuidiâ cuiusquam dicam) nunquam inueniset Parem, nî funesta mors inter ipsos triumphos occasum accelerâset, promissæq; sibi ab Vrbano VIII. Pontifice dignitatis Cardinalitiæ expetitam omnium in eo elusisset expectationem. Feres hunc in me errorem Perillustris & Admodum Reuerende Domine, si æque virtutum Honorum & Meritorum translato ad Te omni Patrimonio ac instrumento me quoq; transfero, & quidquid fuit Patruus in Te Colo. Quid enim? Potestne vnquam Magnanimus Serpens Tuus, & qui Prudentiæ apud literatam eruditionem in omni antiquitate præstat symbolum in assequendis Patrui sui non impiger vestigijs, inglorius latere? cui VLADISLAI IV. curia amplissimum satis extitit meritorum theatrum. Nouit vterq; Senatus, quantæ ille virtutis semper fuerit, dum in Reipub. salute defendenda, sago togâq; celebris felicem cursum gloriosissimè continuaret, & vel eam labantem confirmaret, vel confirmatam magnificentius expoliret. Quin & religiosissimus D. Benedicti ordo, ad cuius sacrosancta tuenda iura, sacrosq; sanctè viuendi promouendos ritus coaptatus es in perennibus suis trophæis Tuum hunc multis onustum laureis venerabitur Serpentem: Ergo quid amplius est quod infans hic mea desideret lucubratio, tantum Gentilitium VVezycianæ Domus conspicata decus? Spondet illi triumphalis Serpens, multis gloriæ onustus ornamentis, non inglorium ex Academico vireto regreßum. Adpromittit generosus eiusdem præcursus omnes non difficile, felici suo ductu euitandas sentes, ipsâ Rosarum superstite gloriâ. Quod si obtinuerit, erit profectò, vt & Tu Perillustris & Admodum Reuerende Domine, ijs quibus non mediocriter auctus es, sapientiæ cumuleris ornamentis, & ego lassam biennali cursu mentem in optatissimo Fauoris Tui reponam vt conquiescat sinu: Tenediæq; Tuæ conscius æquitatis à Patrono amorem, à Præsule dignißimo gratiam, quam iure rependo exposcam. Viue diu Perillustris Domine Ecclesiæ Dei, & Patriæ, meq; vna cum tenui hac lucubratione mea in Tuum propensissimum amorem beneuolus admitte.*

Vestræ Perillustris & Admodũ Rñdæ Celsit.

Nepos ex Sorore

& Cliens in obsequia deuotissimus

*STANISLAVS KOMOROWSKI,*
*In Alma Acad. Crac. Cursus Philosophici Auditor.*

# CONCLVSIONES LOGICÆ.

## *EX PROLEGVMENIS.*

1. Philoſophia in communi ſumpta ad depellendas ignorantiæ tenebras homini data. Eſt rerum humanarum, Diuinarumq; cognitio: ſiue Eſt cognitio rerum vt ſunt.

2. Rectè diuiditur in Rationalem, Naturalem, & Moralem: & aliam eius diuiſionem in Speculatiuam & Practicam admittimus, cum ſub diuiſionibus ſpeculatiuæ in Realem & Rationis, Practicæ in Actiuam & Factiuam. Rurſus Actiua in Ethicam, Politicam & Oeconomicam. Factiua autem in artes liberales & Mechanicas diuiſionem ſortitur.

3. Philoſophia rationalis quæ nuncupatur Logica artificialis, eſt ſimpliciter neceſſaria ad cæteras ſcientias acquirendas.

4. Illius diuiſio in Docentem & Vtentem non importat habitus realiter diſtinctos, tamen quatenus eſt docens in illam quoad omnes ſuas partes cadit ratio propriæ ſcientiæ, quatenus verò eſt vtens, potiùs ſimilitudine accedit, ad artem propriè dictam.

5. Logicæ docentis obiectum formale & adæquatum eſt Ens rationis, poſitiuum, id eſt, conſequens operationes intellectus, quas operationes eſſe materiam Logicæ vtentis aſſerimus.

6. Ens rationis poſitiuum ſiue Logicum dicitur illud quod conſequitur rem, eſtq; nonniſi obiectiuè in intellectu, non tamen abſque fundamento in re veram autem exiſtentiam ab intellectu emendicat, ac importat relationem rationis.

7. Ens rationis prædictum per ſpeciem impreſſam entis Realis cognoſcitur.

## DE VNIVERSALIBVS.

8. VNiuerſale eſt vnum commune multis, tam vnitate quàm communitate formali poſitiuâ, quod præcisè ſumptum propriè ſpectat ad Metaphyſicum, quatenus autem dicit intentionem ſecundam Logicæ eſt conſiderationis.

9. Vniuerſale proinde Logicum pro materiali eſt aliquid in re extra intellectum, pro formali verò acceptum in ſolo intellectu ſedem habet.

10. Prædicabilitas eſt propria paſſio vniuerſalis Logici, adæquatè in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens vniuocè diuiſi.

## DE GENERE.

11. DEfinitio Generis â Porphyrio rectè traditur. Eſt id quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, in Quid, cuius definitum eſt ſecunda intentio in concreto; Conuenienter diuiditur in Generaliſsimum & Subalternum.

12. Genus vt eſt totum potentiale per nullam potentiam poteſt ſaluari in vnica ſpecie, quatenus autem eſt vt totum actuale, non tantum in vna ſpecie, ſed quoque in vnico indiuiduo conſeruari poteſt.

13. Genus vt eſt totum potentiale, prædicatur de ſuis inferioribus.

14. Non prædicatur per ſe differentia prædicatione formali & perſeitate Logicâ, ſed prædicatione identicâ.

## DE SPECIE.

15. DEfinitio Speciei rectè traditur. Eſt id, quod prædicatur de pluribus numero differentibus in Quid.

16. Species Logica non ex ratione ſubijcibilitatis, ſed prædicabilitatis ſeu relationis ad indiuidua formaliter conſtituitur.

17. Species primointentionaliter accepta tam ſecundùm eſſentiam, quàm poteſtatem in vnico indiuiduo conſeruari poteſt.

## DE INDIVIDVO.

18 INdiuiduum cum de vno tantum prædicetur vniuerſalium ordinem non intrat.

19. Prædicari de vno eſt tantum propria paſſio Iniduidui determinati, eſſentia vero eiuſdem eſt quod ſit in vno.

20 Præter indiuiduum determinatum datur indiuiduum vagum habens modum vniuerſalis prædicandi de multis.

## DE DIFFERENTIA.

21. DIuiſio Differentiæ inCommunem,Propriam &Maxime propriam eſt Analoga.

22. Differentiæ definitio iſta. Eſt quæ prædicatur de pluribus ſpecie differẽtibus in quale Quid. Soli Differentiæ Subalternæ conuenit.

23. Sicut Differentiæ ſubalternæ prædicari de pluribus ſpecie differentibus, ita differentiæ vltimæ competit prædicari de pluribus numero differentibus, in ordine ad quæ formaliter vniuerſalis dicitur.

## DE PROPRIO.

24. SOlum Proprium 4to modo ſumptum conſtituit quartum vniuerſale, definiturq; ſic: Proprium eſt quod conuenit omni, ſoli & ſemper.

25. Proprium eſt vniuerſale in ordine ad indiuidua & non ad ſpeciẽ.

26 Propriũ primo intentionaliter diſtinguitur realiter à ſuo ſubiecto, an verò à ſubiecto per Diuinam potentiam ſeparari poſſit, eſt alterius ſcientiæ determinare.

## DE ACCIDENTE.

27. Accidens à Porphyrio rectè definitur ſic. Eſt quod adeſt & abeſt ſine ſubiecti Corruptione.

28 Omne

28. Omne accidens, ſumptum pro aptitudine radicali habet ſuum proprium ſubiectum.

29. Poſſe inhærere ſubiecto eſt de eſſentia Accidentis eſtq; duplex Separabile & inſeparabile.

## DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

30. DEfinitiones Æquiuocorum, vniuocorum, & Denominatiuorum optimè ſunt à Philoſopho traditæ.

31. Dantur Analoga quæ nec purè vniuoca nec æquiuoca dicuntur.

32. Duas diuiſiones totidem & regulas Antepraedicamentales amplectimur.

## DE PRAEDICAMENTIS.

33. PRædicamentum eſt quidditatiuorum prædicatorum, quatenus ſubſtant intentionibus Generis, Speciei & Differentiæ coordinatio.

34. Decem ſunt & non plura nec pauciora prædicamenta.

35. Nihil vniuocum habent ſupra ſe.

36. Subſtantia dicitur Ens quaſi habens eſſe, Accidentia verò denominantur Entia, quia ſunt eius vel diſpoſitiones, vel menſuræ vel paſſiones.

## DE SUBSTANTIA.

37. RAtio Formalis conſtitutiua Subſtantiæ, quatenus ex decem generibus eſt vnum membrum diuidens Ens reale finitum optimè explicatur per eſſe per ſe.

38. Subſtantiæ prædicatorum coordinatio in primam & ſecundam Analogicè diuiditur.

39. Subſtantiæ proprietates ſex à Philoſopho aſſignantur, tamen iſta eſſe ſuſceptiuam contrariorum, peculiariter eſt dicenda proprietas.

40. RAtio formalis Quantitatis eſt, forma accidentalis, cuius effectus eſt ſubſtantiæ extenſio in ordine ad ſe quod eſt habere partem extra partem.

41. Diuiſibilitas & Menſura nonniſi radicaliter accepta explicant rationem formalem Quantitatis.

42. Quantitas quatenus eſt Genus ſummum prædicamentale vniuocè diuiditur in Continuam & Diſcretam, quæ diuiſio eſt in differentias, quarum prior magnitudinem, poſterior multitudinem conſtituit.

43. Quantitatis continuæ Metaphyſicè acceptæ tres tantùm ſunt ſpecies linea, Superficies & Corpus, Logicè autem ſumptæ accedunt Locus & Tempus.

44. Numerus & Oratio ſunt ſpecies Quantitatis diſcretæ.

45. Tres proprietates Quantitatis conuenienter à Philoſopho aſſignantur.

## DE RELATIONE.

46. RElatio prædicamentalis eſt Ens reale, quod ſecundùm rationem ſuam formalem non ponit aliquid in ſubiecto, ſed ſolùm quod ad aliud referatur, in quo conuenit cum relationibus rationis.

47. Relatio realis neceſſariò requirit reale ſubiectum, fundamentum & terminum.

48. Tria ſunt fundamenta Relationum proxima vnitas & numerus, Actio & Paſſio, Menſura & Menſurabile; remotum autem fundamentum poteſt eſſe quodlibet genus Entis.

49. Omnis Relatio Realis in rebus creatis diſtinguitur realiter formaliter à ſuo fundamento.

50. Relationis proprietates quinque ſufficienter à Philoſopho recenſentur.

51 QValitas rectè deſcribitur per ſuum actum, qui eſt facere ſubiectum quale.

51. Ratio formalis conſtitutiua qualitatis eſt diſpoſitio ſubſtantiæ, ſeu determinatio potentiæ ſubiecti.

53. Qualitas vniuocè diuiditur in habitum & diſpoſitionem, Naturalem Potentiam & Impotentiam, Paſſionem & Paſſibilem Qualitatem, Formam & Figutam.

54. Habitus & Diſpoſitio eſſentialiter differunt, ſi diſpoſitio accipiatur, quatenus illi competit eſſe mobilem ex cauſis mutabilibus.

55. Naturalis potentia & impotentia, Paſſio & Paſſibilis qualitas, Forma & Figura accidentaliter tantum inter ſe diſtinguuntur.

56. Tres ſunt Qualitatis proprietates.

## DE VLTIMIS SEX PRAEDICAMENTIS.

57. REliqua ſex prædicamenta licet deficiant, à perfectione Entitatis, quæ eſt in prædicamentis ſuperioribus, non tamen ſunt extrinſecæ denominationes ſubſtantiæ, ſed ſunt formæ quædam intrinſecæ relictæ in ſubiecto, quas concomitatur reſpectus.

58. Actio & Paſſio ſunt prædicamẽta formaliter diſtincta, Actio pro formali dicitur quædã forma accidentalis, quâ mediante dicitur aliqua res agere ſeu producere ſuum effectum, cum aliquo influxu, paſſio verò pro formali eſt quædam forma accidentalis, ſecundùm quam patiens eſt receptiuum motus ab agente.

59. Vbi formaliter dicit proportionem locati ad locum.

60. Quando eſt prædicamentum importans formam accidentalem in rebus ex menſuratione temporis relictam.

61. Prædicamentum ſitus pro formali importat diſpoſitionem partium in ordine ad locum.

62. Prædicamentum Habitus dicit formaliter corporum, & eorum quæ circa corpus ſunt adiacentiam.

63. OPpoſitio inter terminos incomplexos Analogicè diuiditur in Relatiuam, Contrariam Priuatiuam & Contradictoriam. Ex quibus Contradictoria eſt oppoſitio Maxima.

64. Iuxta doctrinam poſtprædicamentalem modi prioris, Simul, motus & Habere, ſufficienter ſunt à Philoſopho aſſignati.

# EX SECVNDA LOGICÆ PARTE.

## DE NATVRA ORATIONIS.

65. ORatio in communi accepta rectè definitur ſic. Eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius pars ſeparata aliquid ſignificat

66. Vnitas eſſentialis orationis definitæ accipienda eſt ex ordine ad complexos conceptus, conceptuum complexio ſub ratione affirmationis vel negationis vnitatem orationis importat.

67. Oratio quatenus integratur ex vocibus Cathegorematicis adæquatè diuiditur in nomen & verbum tanquam in partes integrantes, quatenus autem Oratio dicitur totum eſſentiale in vocem & ſignificationem diuiditur.

68. Oratio Sumpta pro toto Vniuerſali rectè diuiditur & Analogicè in Enunciatiuam & non enunciatiuam. Oratio non enunciatiua ſubdiuiitur in vocatiuam interrogatiuam, ad quas reducitur dubitatiua & conditionalis in imperatiuam & deprecatiuam ad quam optatiua reuocatur.

## DE ENVNCIATIONE.

69. ENunciatio eſt oratio verum vel falſum ſignificans quæ definitio deſcriptiua vocatur.

70. Enunciationis diuiſio in affirmatiuam & negatiuam eſt vniuoca: in Cathegoricam ſeu ſimplicem & Coniunctam ſeu Hypotheticam eſt Analoga: in veram & falſam, finitam & infinitã in Abſolutam & Modalem, ſecundùm qualitatem propriè ſumptam in Neceſſariam Contingentem & Remotam ſiue Repugnantem eſt diuiſio ſecundum conditiones materiæ Enunciationis

71. Enunciationis ex collatione vnius ad aliam tantum ſunt tres proprietates nimirum oppoſitio. Æquipollentia & conuerſio, ratione vero terminorum ſunt quinq; Suppoſitio Ampliatio Reſtrictio Alienatio & Appellatio

72. Proprietates oppoſitionum ſunt quatuor, Contradictoria, Contraria, ſubalterna & ſubcontraria.

73. Ex contradictorijs enunciationibus ſingularibus de futuro contingenti ad vtrumlibet non eſt neceſſe vnam eſſe determinatè veram, & alteram determinate falſam.

# EX TERTIA LOGICÆ PARTE.

## DE DISCVRSV INCOMMMVNI.

74. DIſcurſus in communi eſt motus ſeu progreſſus intellectus humani ex vno noto in alterius ignoti cognitionem.

75. Non eſt vnus actus intellectus ſimplex, conuenienter autem argumentatio Vocatur.

76. Argumentationis diuiſio in Syllogiſmum, Enthymema, Inductionem & Exemplum. eſt Analoga.

77. Syllogiſmus rectè definitur ſic. Eſt oratio in qua quibusdam poſitis aliud quiddam diuerſum ab his quæ poſita ſunt neceſſario efficitur eò quòd hæc ſunt. Cuius diuiſio in Perfectum & Imperfectum dicitur accidentalis.

78. Tam præmiſſæ inferentes quam concluſio illata ſunt de eſſentia Syllogiſmi.

79. Tan-

79. Tantum ſunt tres Syllogiſmi Figuræ, quarta autem Galeni tanquam inutilis non eſt admittenda.

## DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO.

80. Omnis doctrina & diſciplina intellectiua, ſeu diſcurſiua fit ex præexiſtenti cognitione.

81. Tantum ſunt duæ Præcognitiones, An ſit & Quid ſit. Tria verò præcognita, videlicet ſubiectum, Paſſio, & Principia.

82 Duæ definitiones Demonſtrationis rectè ſunt aſſignatæ, Prima Eſt Syllogiſmus faciens ſcire. Secunda Eſt Syllogiſmus procedens ex veris Primis & immediatis, tum ex prioribus, notioribus, & cauſis Concluſionis.

83. Demonſtratio eſt duplex Propter Quid & Quia eſt Demonſtratio propter quid debet conſtare ex præmiſſis veris primis & immediatis, tum ex prioribus notioribus & cauſis Concluſionis.

84. Demonſtrationis propter Quid ſeu potiſſimæ medium eſt definitio ſubiecti, ſiue minoris extremi.

85. Scientia eſt habitus intellectualis potentiæ, cuius vnitas accipienda eſt ex obiecti formalis ratione Sub qua.

86. Cognitio per cauſam explicat differentiam ſcientiæ, quæ in ſubalternantem & ſubalternatam diuiditur.

87. Scientia ſubalternata ſine ſubalternante acquiſita eſt verè ſcientia: licet ſtatum non habeat perfectum.

88. Scientia ab opinione, Solertia, fide, & Intelligentia eſſentialiter diſtinguitur.

89. Virtus illa per quam cognoſcimus prima principia eſt quidam habitus exiſtens in intellectu, & non eſt ipſe intellectus.

90. Habitus Principiorum non eſt ſimpliciter à natura inditus Potentiæ Intellectiuæ, ſed partim fit à natura partim acquiritur, Collatus tamen cum alijs habitibus eſt ſimpliciter à natura inditus.

## *DE SYLLOGISMO TOPICO & SOPHISTICO.*

91, DOctrina de Syllogiſmo Topico recte eſt ab Ariſtotele tradita cui ex probabilibus concludere formaliter competit.

92. Syllogiſmi Topici propria paſſio eſt generare opinionem ſeu probabilitatem ex locis prouenientem.

93. Diuiſio problematis in Definitionem Proprium, Genus & Accidens eſt adæquata.

94. Præter Syllogiſmum Demonſtratiuum & Topicum datur Sophiſticus ab illis formaliter diſtinctus.

95. Syllogiſmus Sophiſticus ex materia apparenter vera ad quam eſt Contractus deceptionem colligit.

96. Syllogiſmus ſeu Elenchus Sophiſticus, tam ex parte vocis iuxta ſex locos in dictione, quam ex parte rei ſecundum ſeptem locos extra dictionem cauſam ſuæ apparentiæ aſſumit.

## Sub felicibus auſpicijs,

*Magnifici & Adm: Reuerēdi Dni,*

# M. IACOBI VITELLII,

## S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

Decani Eccleſiæ Collegiatæ S. Floriani, Prouiſoris Nouodworſciani, Almæ Vniuerſitatis Cracouien: Generalis vigilantiſsimiq; RECTORIS.

